# NOVORVM, IN INFERIORIS GERMANIAE PROVINtia Constantissimorum Martyrum, Ordinis Sancti Francisci ex Obseruātia, passionis historia: à Reuerendo Patre Florētio Leijdano, eiusdem Prouinciæ Ministro collecta:

SICVT AB EIS ACCEPIT, QVI SANctissimorum Fratrum martirio adfuerunt; & proprijs oculis vsque in finem conspexerunt.

Cui accedit enarratio Martirij, aliorum quorundam eiusdem Ordinis Religiosorum: in partibus Galliarum, pro fide Christi occisorum.





Pertinet ad Conu. S. Francis à [illegible]

NEAPOLI, Apud Horatium Saluianum. M D LXXXI.

ILLVSTR.^mo^ AC REVENDIS.^mo^

Domino D. Ferdinando medices, tit S.Mariæ in Dominica Cardinali Ecclesiæ Catholicæ Principi; ac ordinis Minorum de obseruantia Protectori Dignissimo colêdissimòque, Frater Franciscus Gonzaga dicti ordinis humilis Generalis Minister & Seruus. S.

CVM Antiquus hostis (Illustrissimæ, ac Reuerendissimæ Princeps, nostri Sacri instituti singulare presidium, & refugiũ) suum hæreseos venenum per orbem infunderet, & Sacrosanctam Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ fidẽ, in Prouintijs Datiæ. Daniæ, Scotiæ, & Angliæ pro viribus obscurare conaretur, cernens dictarum Prouintiarum Religiosos ordinis nostri; verbis, scriptis &

Sanctis moribus, impijs eius conatibus, sese opponere: ac plures christianos in confessione fidei sacrosanctę continere; impetu quodam Satanico tamdiu præfatos religiosos persequutus est, donec impiorum hominum ope, à dictis Prouintiis eos pænitus eiecit. Quos, patres Prouintię inferioris Germanię, maxima cum beneuolentia, in sua prouincia susceperunt. Vnde is qui ab initio homicida est, & pater mēdacii, virgam furoris sui in dictam Inferioris Germaniæ Prouintiam excitauit, vt quos non potuit blanditiis sæculi, & carnis illecebris à fidei constantia semouere; eos summa seuitia per suos ministros iniquitatis, insecutus, plurimos gladio & Igne consumpsit: alios fame necauit: reliquos fere omnes, suis locis destructis, Prouintiis belgicis permittēte Deo disturbauit: Quēadmodum etiam ex sequenti veridica

enar-

enarratione fælicissimi finis quorundam dictę Prouintiæ religiosorum nostrorum, liquido constare poterit. Cogitanti ergo mihi Illustrissime, ac Reuerendissime Princeps, quonam officii genere testarer meum Illustrissime, ac Reuerendissime D. V. inseruiendi desiderium, nullum aptius nunc occurrit argumentum, quam huiusmodi enarrationem Typis mandare, & hos ordinis nostri Fructus suauissimos, Illustrissime, ac Reuerendissime Dominationi vestræ offerre. Quid enim tibi gratius accidere poterit, quam si intellexeris, ordinis nostri Fratres, in Sacro Christi bello pugnantes, Sanctissimi Romani Pontificis auctoritatem, ac Sacrosanctę Ecclesię Romanæ fidem, suo sangnine, vsq; ad gloriosam mortem protestasse, & defendisse, atq; confirmasse? Huc etenim omnes Tui conatus & studia tendunt, vt ordinis no

ſtri congregatio, mille modis decore-tur & floreat. Vnde eam fælicem prædico, quæ tam egregium Protectorẽ & Generis nobilitate clariſsimum, & pietatis religionisq; ſplendore conſpicuum, hac noſtra tempeſtate habere promeruit: qui rerum agendarũ prudentia præditus eſt. Qui zelo Chriſtianæ religionis & fidei nulli ſecundus, rem eius ſtrenuè ſemper agit. Qui religionem noſtram ſua protectione Illuſtrat. Qui deniq; magno ſemper animo in omnes, præſertim noſtri inſtituti eruditos viros, propenſiſsimus fuit: & me ſuo benigniſsimo fauore, indies recreare non ceſſat. Hoc ergo munuſculum Illuſtriſsimæ ac Reuerendiſsimæ Princeps, grato animo accipe & me paterne beneuolẽtiæ ſtudio proſequere & foue. Vale in Annos fæliciſsimos, pauperum religioſorum ſolatium. Neapoli die 14. Februarii anno à partu Virgineo octuageſimo primo, ſupra ſesquimileſsimum.

*FRATER Franciscus Gonzaga totius ordinis Minorum Generalis Minister & seruus, uniuersis, & singulis ordinis nostri prælatis, & cæteris Religiosis,, salutem, & sincerã in domino Iesu deuotionem, Harum serie litterarum certiores vos reddimus & fidem facimus, qualiter mense Ianuarij Anni præsentis, infrascriptam enarrationem manu R. Patris Martini de Myrica, Prouintiæ inferioris Germaniæ Ministri subscriptam, & maiori eiusdẽ Prouintiæ sigillo munitam recepimus, nõ vitiatam, non cancellatam, aut in aliqua eius parte, suspectam, sed omni vitio carẽtem. Cuius enarrationis tenor est qui sequitur.*

*Fratrum Minorum Prouintiæ inferioris Germaniæ, ob Catholicæ Fidei confessionem, hoc septennio ab hæreticis occisorum.*

ANNO Salutis nostræ supra Millesimum Quingentesimo Septuagesimo secundo, mense Iunio, instante Præcursoris Domini clarissimi Martiris solemnitate, & indies hereticorum Geuseorum hostiumq; Catholicæ Romanæ Fidei crescente furia, conspirantibus ferè omnibus Hollādiæ Ciuitatibus ī Deum, & Catholicum Regem, inter cætera illorum impia, & detestanda facinora, inaudite crudelitatis argumenta in fratres minores declararunt. Occupata siquidem astutia & dolo Ciuitate nomine Alckmaria (quę est in Hollandia) furibunda illa hæreticorum cohors, ad sacrum fratrum Minorum Collegium armata manu, ac feroci animo properant. Venerandum Patrem Guardianum, & fratres præsētes post uarias calumnias, scommata, dicteria, & illatas

latas iniurias, tanquam Patriæ proditores statim lictores apprehendunt,& proprijs funibus quibus pro instituti sui ratione cincti erant ligant. Ne autem in ea qua agebant optimi Patres Ciuitatæ tumultus aliquis, aut seditio oriretur, in uigilia Diui Ioannis Baptistæ,eo die quo capti sunt, æuchusiam Ciuitatem maritimam feris hominibus prediuitem, funibus suis ligati, uelut oues occisionis ducuntur. Priusquam autem hæc purissima & viua Deo immolarentur sacrifitia, funesteque Mortis acciperent sententiam, post plurima certamina, & fortissima superata prelia, Tirãnus quidam sacerdos apostata, nomine Gerardus de BercKen roye homo impius & crudelis, qui in illa nefandissima causa Commissarius Principis Auriaci habebatur, Patrem Guardianum ostensa hostia (nescitur an consecreta)his uerbis agreditur.Hicci ne tu us est Deus, quem hactenus coluisti? dic nobis palam si hic est Christus tuus? cui constantissimo pectore pius Pater respondit. Si Hostia illa,quam hic coram osten dis, à legitimo Sacerdote est consecrata iis uerbis,quibus usus est Christus; nobis

quo

que utendum præcepit, fateor uere esse, Deum meum, & Christum saluatorem; qui in Cruce pro humano genere pependit. Tirannus ubi ueram de ueritate corporis Christi confessionem à Patre Sancto accepit, infremuit spiritu, & ait. Hęc tua confessio publica, tibi tuisq; publice erit mortis causa, & statim post occasum solis ductis sub patibulo, quod ante Prætorji domum, quam Ciuicam uocant erigebatur, sententiam mortis tulerunt in eos, quod tanquam Patriæ proditores, & Papistice fidei professores, die crastino mane proprijs funib⁹ morituri, suspẽderunt. Lata mortis sententia fratres in domum cuiusdam hæretici domui Ciuicæ adiunctam reducuntur, ibidem totã noctem mutuo peccata sua confitentur, & Guardianus tanquam pius Pastor, suos Confratres in Fide, & tollerantia passionum reddens constantiores. Vos inquit mecum fortiter agite, & date animas uestras pro Fidei Romanæ confessione gloriosa: memores uerborum, quibus Beatus Franciscus suos ad tollerantiam, duraque certamina hortari consueuit, Modica passio, Gloria in-

finita. Donate Fratres, & filij in Christo dilectissimi, si uel in minimo uerbo, aut facto uos offenderim, minusq; clara dederim probitatis, & uirtutum exempla. En nostræ resolutionis tempus instat. Totam itaque noctem illam in laudibus Diuinis transigentes, mane Tirannus aduenien, inter quintam, & sextam horam, Fratrem quendam ex eis laicũ Adrianum nomine aggreditur, sperans quod eum à recte fidei soliditate remoueret uitam obtulit dicens, Quan quam tibi parcere non debeam, quia Monacus es, hac uice tamen non morieris, si tuis cõfratribus lictoris officium prestiteris. Qui Tyranno intrepido animo respondens ait, absit hoc a me, ut ego fratribus meis mortem inferam: sed potius ipsam eligens, cupio cum meis fratribus mori. Tyrannus ubi constantiam laici percepit eum e domo illa primo educit ad patibulum solum, quẽ statim proprio fune eius collo ligato, animaque in manus Iesu Christi commendata strangulauit: secundo Patrem Guardianum educunt usque ad locum supplicij: deuotum Trina uice psalmum,

In te Domine ſperaui, Vſq; ad Verſum, In manus tuas, decantantē, quē ubi tertio perſoluiſſet, Sanctum Patrē ſcalis deiiciunt. Tertio loco Patrē Clariſarū (qui ut agnus ad uictimam deſtinatus, nō aperuit os ſuum) cum reliquis ſuſpendunt. Eodē die Beati Ioannis uidelicet ad veſperam, ex patibulo depoſita ſanctorum pignora, nares eorum, tanquā riuuli aquarum, ſanguine fluunt: uehunturq; curru extra portam, qua itur AlcKmariā, & in aggere prope portā in loco, cui nomen eſt Muten leniori terra corpora eorum condita ſunt. Vbi influxu maris corpore ſanctorum aquis cooperiuntur: quæ ſtupendo miraculo in ſpetiem ſanguinis multis diebus, cernentibus, nedum Catholicis, uerum & hæreticis conuerſæ apparuerunt. Viſæq; ſunt quinq; faces Diuinitus accenſæ, ſuper corpora ſanctorum noctu lucere: perceperunt incolæ Mænia Ciuitatis corporib⁹ sāctorum adiacētia quaſi quodā terre motu fieri. à uicinis quoque audita eſt uox terribilis inſtar tubæ ſonātis. Slaet doot. Slaet doot; quod ſonat occide, occide: quā Catholici, futuræ uindictæ præſagium interpretantur.

Nomina

*Nomina fratrum qui AlcKmaria Enchusiam ducti, & ibidem manibus impiorum pro confeßione Catholicę Romanæ fidei morti traditi sũt; sunt hæc.*

FRATER Daniel Arẽdonck Guardianus AlcKmariensis, uir certè perspicua eruditione, & summa sãctimonia, semper clarus, qui posteaquã institutor adolescẽtium seminarij conuentus nostri lonaniensis, multis annis magna cum laude, & non minori fructu fuisset, guardianatus offitium postea diuersisin locis magna dexteritate gessit. 1

Frater Cornelius à Diest, Pater Sororum Sanctæ Clare pauperum in AlcK. maria, uir semper singulari sanctimonia prædictus, & fraternæ Pacis studiosissimus. 2

Frater Ioannes à Nardis Sacerdos, & Sacrista loci, qui diligentissimus Diuini cultus sua tragica voce qua Pollebat, extitit decantator eximius. 3

Frater Ludouicus Voets Sacerdos, & prædicator eximius, qui licet ætate inni- 4

or

or, senilibus tamē moribꝰ sēper præditus
Ecclesiā Dei quoad uixit, frequētissimis
concionibus non parum exornauit.

5 Frater Adrianꝰ à Gaudia, laicꝰ qui licet
professione extitit, incredibili tamē fide
munus sibi in multis conuentibus con-
creditum, magna dexteritate exercuit.

6 Frater Engelbertus à Terburch laicus
& eiusdem loci dispensator, qui tametsi
tunc tēporis cum præfatis quinque Mar-
tiribus mortem non oppetijt, postea ta-
men ab infidelibus Ciuibus proditus,
quod ex fratrum esset collegio, & totius
supellectilis fratrum absconditor, à Geu
seis statim captus, & inenarrabilibus cru
ciatibus diu maceratus, ut postea in le-
genda eius patebit.

Eodem āno fratres propemodum om
nēs qui in Ciuitate Gorchomia erant, ut
uim, & seuitiam hostis aduentantis eua
derēt, in Arcem, quæ ad eiusdem Ciuita
tis mœnia in cōspectu fluminis preterla
bētis posita est, se receperunt. Geusei ita
que Ciuitatē ingressi, summa diligētia ea
sibi cōparare ceperunt, quæ ad Arcē ex-
pugnandā iudicabant necessaria. dedita-
que in manus Geuseorum, statim fratres

in

in carcerem horridum, & squallentem conijciunt, Vbi post acerbas contumeliasab improbissimis Geuseorum militib⁹ illatas, misere uarijs modis torquentur. Inter quas Venerãdus Pater Guardianus cum Fidei Catholicæ assertor esset strenuissimus, ex fune suo, pro quo instituti ratione cinctus erat, super ostium carceris suspensus est, atque ubi Gloriosam mortem oppetijsset, nisi Deo ita volente (ut grauioribus adhuc opprobrijs, & pœnis prò Fide Catholica perferendis reseruaretur) funis fuisset abruptus: qu am quam a sotijs fratribus, qui aderant, & tantæ crudelitatis spectatores esse cogebantur extinctus putaretur; quem cum reuersi milites nefarji delapsum; & ad huc spirantem reperiunt, pedibus humi iacentem, proculcant: etiam in faciem Sancti Patris; calcibus impingentes: & uarijs opprobrijs eum onerantes: quem tamen eo tẽpore nondum occiderunt. Et ne eidẽ nequicquã ad ignominiã deesse uidererur (quod tamen Christian⁹ uel maxime gloriosum ducere debet) crucis figurãin ceruice cultro exararunt. Pari crudelitate aggressi sunt Patrẽ uice

guar-

guardianum, quod acrius in hereticos inuehi ſolit⁹ erat. Hunc oppoſito ĩ os ſclopeto minori (quod piſtoletum uulg⁹ uocat) velut mox exploſuri, ad negandã fidẽ cogere uoluerunt, exprobrãtium modo iubẽtes, Vt nunc quæ aliqnãdo publice pro cõtione ſolitus eſt deblaterare, profiteretur ſi audeat. At ille nihil metuẽs præſẽs periculum, cõſtantiſſime reſpõdit ſe certo credere, uerum Chriſti corpus & ſanguinem ſub panis, & uini ſpetie in Euchariſtiæ Sacramento cõtineri. Miles uero, qui ſclopetum manu tenebat, explodere non eſt auſus. Taceo ſummam ignominiam, præter hos duos Patres etiam cæteris fratribus illatam, dum ueſte ſuperiori Religionis ſpoliata (quã miles partiebatur) uirgis acriter ceduntur: adeo ut ſanguis ubertim deflueret. Quam uero crudeliter dilaniati fuerint argumento ẽſt quod cũm poſtea Brielam aducti eſſent, & Vbi pene nudi inſanæ plebis oculis conſpiciendi exponerẽtur, publice à plebe conclamatum eſt, eos laborare ſcabie gallica, apparentibus nimirum per corpora ipſorum adhuc plagis, per modum ſcabiei iam incruſtatis.

Igitur ꝑ dies undecī in eodē castro detē ti duodecimo demū die, qui erat mensis Iulij dies septimus, Brielā nauigio aducti sunt, oppidum Hollandiæ, exiguū quidē & obscurum, sed Geuseorū beluina crudelitate, & Ecclesiasticorum ex omni fere Hollandiæ angulo aductorū, cædibus & supplicijs nobile. Ibi ergo in terram expositi, mox à comite à Marca Guillelmo à lumen nomine, uiro ex illustri quidem familia propagato, sed in Ecclesiasticos notæ crudelitatis excipiūtur acerbissime. Nā ipse baculum manu gestans, & uerba singula ingeminans eos ante se agebat. Reliqua militum multitudo & plebis, quæ spectatum uenerant, nulla cō miseratione ostensa, contumelijs, & probris captiuos fratres certatim īfestabāt.

Ducūtur deinde ad patibulum, quod est ad portā ciuitatis, quod circuire īcessu retrogrado; atq; īde genib' flexis alta uoce letāias canere cogunt. Quod si qui submissius canerēt baculo extimulabant. Post hæc ciuitatē īgressi eodē quo antea modo, ad patibulū, q̄ est ī medio fori trahūt sacra cātica rursū cātare coacti spectāter, & certatī captis, illudente plebis multitudine.

Poſtremo in fœdiſſimum carcerem conijciunt, quo niſi diligenti quorundam notorum ſolicitudine, mature fuiſſent extracti, erant prè intolerabili fetore non multo poſt animam axhalaturi Deinde aliquoties ad patibulum protracti, ac uiciſſim in carcerem reducti ſunt ſimul, ut inſanæ plebis libidini fieret ſatis: quæ tali ſpectaculo uelut paſci uidebātur: Et ut nouum ſubīde Sā̄ctis fratribus incuteret terrorem, frequens ac recens ex patibulo conſpecto mortis mætus. In ſequenti die ſinguli a duobus cōcionatoribus Hæreticis examinantur, quorum alter erat nauta Gorcomianus idemq; potator ſtrenuus, & homo miræ ſanguinarius: alter paulo doctior & ſanior. Cumque omnes poſt interrogationem habitam, qui ad uitam æternam erant prædeſtinati, conſtāter in Fde catholica perſiſterent, nec adduci ulla ratione poſſent, ut in minimo ab eā recederent, in carcerem reducuntur. Aduenit interea Gorcomio Brielam quidam Catholicus, qui comuni ſenatus, populiq; Gorcomiani nomine, pro captiuis interpellaret, adferens ſecum a Senatu literas, quæ teſtarentur omnes eſ-

se uiros integerrimos, uitæq; inculpatæ; qui nullius unquam uitæ, aut fortunis fuissent insidiati, sed multis modis Rempublicam Gorcomianam sepenumero adiuuassét, deque ea optime essent meriti. Ad quæ omnia nihil aliud fere fuit responsū, quam se iurasse in necem fratrum, & sacerdotum; qui Brielā adueherentur. Notandum inter hæc, memoratu dignum, quod Germani duo fratres Patris Guardiani, homines de Religionis ueritate parum soliciti, sed amore tantum carnali ducti, Gorcomio Brielam uenerunt, suum fratrem si fieri posset præcibus, & precio liberaturi. Erantq; id effecturi, si eum ad renunciandum summo Pontifici adducere possent. Itaq; impetrant a carnifice, ut a cōcaptiuis fratribus fuierit e carcere extractus, quatenus cum eo solo colloquium misceant in diuersorio. Vbi mēsæ pariter assidentes fratrem suum Guardianum, quibus possunt præcibus, & blāditijs inducere conantur, vt Papæ renunciet, decentes Papam hominem esse, nec ipsum si id faciat Deo renunciaturum sed homini tantum, dicebant enim age ergo hac nocte frater noster (quia tibi alioqui

imminet mortis discrimē, fidē tuā dissimula ut uiuas, perinde nobis est quid credas, modo ab ignominiosa morte te saluum habere possimus, quæ tamē certo ibi decreta est, nisi Papisticā fidē, & religionē tuam Monasticā, aut negare, aut dissimulare uelis. At constantissimus Romanæ fidei confessor, subdolam fraudē, carnalemq; fratrum suorum Germanorum olfaciēs affectum, Catholico pectore respōdit. Se gratias quidē illis habere quod bono erga ipsum essent affectu, quo tam uehementer pro ipso sollicitabāt ne moreretur, se tamē malle mortē (quæ aliquādo naturę necessitatę subeūda esset) nūc gloriose oppetere, quam ulla ex parte à fide discedere. Vt autē fratres eius Germani cōstans propositum, īmobileq; illi animum ītellexissēt. Si īquiunt fr hoc apud te statueris, firmoq; aīo decreueris, nos in hac uita te āplius nō sum⁹ uisuri, ad lictorē pergim⁹, qui te ī carcerē ad cō fratres tuos reducat, ubi mortē in horas expectare cogeris. Quib⁹ Heroico pectore respōdit. Ego ad dominū Iesū proficiscar, uos ualete, expectaturi illā æternam mortē sine fine duraturā. Mea uero mors

quam ignominiosā putatis, ultā cito largieť ęternā. Fratribus itaq; germanis ei⁹ omni iā sua expectatione frustratis & abeuntibus: altissimo somno corripitur Venerād⁹ Pater Guardian⁹, in horā noctis secundā suauiter dormit, secura mēte, serenaq; cōsciētia. Et ecce secunda eadem hora adest carnifex, Patrēq; Guardianū (dum graui somno oppssum inuenit) conatur excitare, sōnumq; uellicādo disrūpere dicēs. Quid dormis miser? En iā tibi est moriēdū. Cui ille modestissime respōdit, Quid Domin⁹ mihi dedit, refutare nō potui. Si autē me queris, lubēs congredior. Eadē autē hora educūtur oīes fratres cū Guardiano e ciuitate, nō sine magno hoīum, & equorū strepitu: duob⁹ tātū exceptis, quorū alter natione Gall⁹, uolēs mortē euadere, in egressu ciuitatis milites Gallos cōpellās, ab eisdē clā educt⁹ est, cæpitq; mox cū eisdē stipēdia mereri, nō sine fidei catholicæ renūtiatione. Sed postea pœnā suæ abiurationis accepit: accusat⁹ enī a cōsodalib⁹ quod min⁹ fid⁹ esset, à lūmē uigesimanona septēbris eiusdē āni suspēsus est. Alteri uero qui nōdum Religioni professus erat propter

etatem adhuc minus maturam, uita dona ta est. Eductis ergo extra Ciuitatem captiuis fratribus, cum milites aliquãdiu supplicij locum quesiuissent, tandem reperere casam, quæ pridem fuerat Monasterij Ruggẽsis, prope Brielam. ibi omnes post quam se Deo, & mutuis præcibus commendassent, mutuoq; ad constantiam Romanæ fidei proposita spe Gloriæ, ac retributionis iam proximæ adhortati essent, primum Patrem guardianum, tum Viceguardianum cum reliquis fratribus, ex lõgã trabe suspendunt: uitam hanc caducã & temporaneam gloriosã morte commutantes in Christo obdormierunt. Mortuos mox uestibus (quæ tamen pauce, & exigui pretij illis relicte erãt) spoliãt. Tum ne quid extreme crudelitati deesset, alios naribus, alios auribus, etiam ante mortẽ alios etiam (ò rem nefandam) membris pudendis mutilant, quibus ad galeros affixis, perpulchre ut sibi uidebantur ornati, tanquam insignem e nobili pugna uictoriam reportantes, in oppidum regrediuntur. Tertio demum die Martires sancti eodem in loco, quo morte affecti sunt, humo sunt conditi.

Nomi-

*Nomina porro eorundem fratrum quia æterna memoria digni sunt, breuiter adijciemus.*

FRATER Nicolaus PijcK Gorcomianus Guardianus, qui in uita sua, & si pauco tempore (iuuenis quippe adhuc ætate fuit) Ecclesiæ Christi, frequentissimis concionibus plurimum profuit. 7

Frater Hieronimus à Vbeert Vicegnardianus, miles Ierosolimitanus, æternam suæ fortitudinis & constantiæ post se memoriam reliquit Ab exordio siquidẽ suæ captiutatis non cessauit die ac nocte, singulari qua pollebat exortandi dexteriate suos confratres ad Romanæ Fidei confessionem, & Martirij gloriam inflammare. Erat etiam ardenti spiritu demonibus terribilis. 8

Frater Guilhadus Dauus sacerdos octogenarius, olim ex Dania in has partes. Religionis causa profugus. 9

Frater Nicasius Hesius, uir singulari sãctimonia præditus, & in sacra Theologia mistica, & speculatiua plurimum uersat*. 10

11 Frater Theodoricus eundenns, cōfeſſarius ſororum tertij ordinis ſancti Franciſci in Gorcomio.

12 Frater Anthonius hornaer, Sacerdos & Prædicator egregius.

13 Frater Godefridus Meruel Sacerdos, & confeſſor, Eccleſiæ Sacriſta.

14 Frater Franciſcus à Bruxella, Sacerdos & Prædicator.

15 Frater Petr⁹ ab Aſcha Laicus profeſſ⁹.

16 Frater Cornelius à VbijcK familiaris fratrum.

His miraculum pridem factum adijciam, ut ex plurimis fide digniſſimis, qui Gorcomij cum cōtingeret erāt, accepi. Ciuis quidā Gorcomiēſis, nomine Mathias Thoran⁹ quū Herina, qui morb⁹ eſt īteſtinorū erūpētiū, grauiſſimè laboraret, adeoq; periculoſe, vt nulla ſpes reliqua foret, multis præsētib⁹ opē īploraret Diuinā p merita, & ſuffragia mattirum: qui Briele pro fide catholica Romāna mortem opperijſſent. Id ubi fecit, continuo à periculo in quo uerſabatur liberatus, & ſanitati priſtinæ reſtitutus eſt.

Eedem anno 1572. Menſis Iulij die 23.

Frater Reijnerus à lintris Sacerdos, & Præ-

Prædicator, cum Ciuitas Ruremondensis, ab aduersarijs fidei proditione caperetur, gladijs impiorum ante uenerabile sacramentum, per latera trañsfossus, fœliciter obdormiuit in Domino.

## MARTYRIVM VENERANDI Patris Gullelmi à Gauda 1573. 4. Sept.

ANNO Dñi Milesimo quĩgẽtesimo septuagesimo 3,: Vltimo Augusti, qui fuit dies lunæ, iter quartam, & qnintam mane expugnata à Geuseis ciuitate Mõtis Sanctæ Getrudis, occisisq; multis præsidiariis regijs militibus, qui dormitanter, Vigilias agere debebant, Geusei, ut Leones rapidi per plateas & uicos cursitant, milites regios: & Sacerdotes Dñi ad necẽ querẽtes, quib⁹ cũ occurreret Venerabilis quidam Canonicus Domin⁹ Guillelmus galenus nomine, repẽte eũdẽ ĩmaniter trucidarũt. Captis uero reliquis Regijs militib⁹, & Sacerdotib⁹ Dñi: qui primæ neci supfuerant, & ĩ custodia positis, Patrem guilellimũ à gauda virũ inter Cõciona-

tores

tores Prouintiæ insignem, eiusdem Oppidi Ecclesiasten capiunt, manibusq; ligãt &ad domum Præpositi in custodia arcta, quem laqueo statim enecare conantur. Sed Dominus, qui in suo futuro Martire summa mentis constantia,& voluntaria passione glorificandus erat, manus militum sacrilegas tunc temporis coibuit, nè sanctum Patrem morti traderẽt Ea est enim Dei optimi Maximi Prouidentia, quos per agonem Martirij destinat coronare, eorum gloriosa certamina longius protrahit, ut dum ex ipsis, & ex nobis alij proficiunt, Christus in suis semper seruis,& in Ecclesia sua Sancta laudetur. Pius tamen Pater nihil aliud presentiens, nisi quod eum statim morti darẽt Christiano pectore in hæc verba prorupit, facite mecum quod vobis videtur; mori paratus sum ob nomẽ Domini mei Iesu Christi, & Catholice fidei professionem. Quem uarijs contumelijs, & opprobrijs lacessitum, in posteriorem cameram Domus præpositi collocant. Vbi probus & Religiosus Pater Tertij ordinis Sancti Francisci, frater Ioannes Voghelsanck confessarius Monialium eiusdem

dem Ciuitatis, & huius historiæ teutonicus scriptor, in custodia grauiter in capite uulneratus tenebatur. Quem cum consortem suæ confessionis conspexisset exultans in spiritu his uerbis effatus est. Gratias tibi ago, Domine Iesu Christe quòd pro confessione Catholicæ Romanæ fidei dignus habear funibus ligari. Illumina obsecro mentem meam gratiæ tuæ splendore, ut fortiter in confessione Catholicæ fidei persistens, nullis sathanę insidijs à Diuino tuo eloquio, & Apostolica fide auellar.

Postea Ministri Sathanæ manus eius dissoluunt, & è camera decedentibus, solus futurus Christi Martir cum Confessore Christi præfato reclusus mansit, ubi simul illam noctem, & quatriduo sequenti in diuinis laudibus transigentes, à Diuino colloquio, & oratione spiritum non relaxabant. Confitebanturq; Christi sacerdotes alterutrum peccata sua, & orantes prò inuicem, ut breui fidei confessione æternam salutem consequerentur. Mutuoq; his efficacibus scripturæ uerbis consolati sunt. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futurā

glo-

Gloriam quæ reuelabitur in nobis. Nã quod leue, & memetaneum est tribulatio nis, æternum põdus Gloriæ operãtur in nobis. Et quomodo Sãcti Martires digni habiti sũt pro nominẽ Iesu nedũ cõtumelias, & iniurias pati, sed etiã pro fidei catholicæ firmamẽto mori parati, voluntariã se hostiã obtulerunt pro Christi nomine. His, & alijs sãctis eloquijs usq; ad diẽ Iouis vnanimiter perseuerarunt. Statim aderat missus à Principe Arãge (ut aiebat) Adrian⁹ CocKius nomine, Apostata olĩ ex ordine Regulariũ Sãcti Augustini prope Dordracũ gratia eos examinandi, & ut si posset à Catholicæ fidei, & suæ professionis firmamento quoquo modo auerteret. Quẽ cum uideret Pater Guilielmus Athleta Christi suspiciens in cœlum his uerbis affatus est.

Dñe Iesu Christe, qui Apostolis tuis dixisti, cũ ãte Reges, & Præsides ducimini propter me, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini dabitur .n. uobis in illa hora quid loquamini, Non enĩ uos estis qui loquimini, sed spiritus Patris uestri qui loquitur ĩ uobis, Corrobora me ĩ ĩteriori homine hac hora, & ĩspira quod habe-

habeam quod inimicis tuis respondeam Inito uero certamine decatholicæ fidei ueritate, spirit' Sanctus p os illuminati patris, apostatã illũ cõcionatorẽ ita cõuicit, & mutũ redidit, ut populo pſẽti cõfusus, nõ haberet uerbũ quod diceret. Tũc ĩ maledicẽtiæ uerba (ut huiusmodi gen' hominũ assolet) ueritatis lumine pcusũ prorũpẽs. Tu inquit subdole, & perfide Monache para te, crastino die tibi moriẽdũ erit. Quod sereno uultu accipiẽs Pater Guillelmus hilari mente respondit.

Dñe Iesu Christe si dign' habear pro cõfessione tuæ fidei mortẽ pferre, humiliter tuã inexaustã misericordiam imploro, ut cõstãti animo fortiter in cõfessione tuæ fidei in qua natus sum, usq; ad mortẽ perseuerem. Quibus dictis Minister Sahanæ abscessit, & suum concaptiuum Patrem ad constantiam cohortãs dicebat.

Fortes in fide presistamus alacriter, & in gratia Virtutis Domini, sepe Carissimę meę Matri dixisse memini. Vtinã diẽ illũ Mater uideres, quod filium habeas; qui pro fide catholicæ professione moriatur. Iã optime spero quod diu desideratis uotis clemẽtissimus tãdẽ fecerit satis

&ſæ.

& ſepius ingeminans uocem illam.

Conforta me Domine, conforta me; tota die illa Diuinis colloquijs ſe recrearunt.

Die uero ueneris, mane inter ſecundã & tertiam horam conſurgens Pater Guilielmus genibus prouolutis, & expanſis in cœlum manibus orationem fudit ad Dominum. Denuo facta confeſſione ſacramentali, ſuo concaptiuo Patri flexis in terrã poplitibus, orauit ad dominum.

Et ecce circa horam circiter octauã aduenienſ Geuſitarum Capitaneus cognomento Marliandt carceris præpoſitum interrogat dicens: ubinã eſt ille Monacus Verbi Papiſtici cõcionator? Quę Præpoſitus demonſtrans digito futurum Chriſti Hoſtiam, aiebat. Ecce ille eſt. Et capitaneus mortis ſententiam in ſanctum proferens, dicebat. Monache tu te prepara, ſtatim laqueo tibi moriendum eſt. Qua accepta ſentẽtia, cõfeſſor Chriſti Guillielmus alta uoce clamabat, & dixit.

Domine Ieſu Chriſte, qui amore mei amaram mortem guſtaſti, illumina mentem meam claritate tuæ gratiæ, ut

in hac

in hac hora extrema mihi assistens, fortiter pro tui Nominis Gloria in fide perseuerem,& statim ad genua procidens orauit ad Dominum,& dixit. Deo gratias. Vix orationem finierat, & ecce lictor aduenieus dixit ei.

Monache porrige manus tuas. At ille ingenti gaudio perfusus manus ligandas lictori porrigens dicebat.

Domine Iesu Christe, qui te ad columnam amore mei ligare permisisti; Ego me uinctum uicissim ob confessioné tui nominis tradens, tuam deprecor Misericordiam, ut mihi in hac extrema necessitate assistens, gratiam prebeas perferendi. Lictor uero loris manus eius ita fortiter strinxit, donec sanguis efflueret, ipse autem Christi amore perfusus, lictorem impulit, ut fortius manus suas constringeret dicens, liga fortiter, paratus sum enim prò Christi nomine omnia pati, quæ mihi intuleris.

Postremo genibus flexis orationem fudit, donec lictor aduenieus eum in medium fori Ciuitatis pertrahit, ubi locus supplicij parabatur, & suo commilitoni Patri ualę dicens aiebat.

Vale

Vale mi Pater in Christo, uale mi Pater,& ora prò me. Lictori uero dicebat. Festina festina:propera, Christus meus sponsus me expectat. Quem cum apatibulum cum qnodam cat holico milite Regio,qui neci superfu erat,adducũt, Denuo oratione orauit, ut ei Dominus aissisteret. Miles autem Regius patibuli scalas ascendens, præcibus sancti uiri se suppliciter commendauit. At ille constanter militem corroborans eidem clarissimá uoce textum Simboli recitauit, Milite uero sic ex hoc seculo nequã erepto,Patris Guillelmi collum laqueo cingitur,& conscendens illas fœlices patibuli scalas, in hæc uerba Ciues altissima uoce allocutus est.

Ciues mei carissimi & fideles in Christo, obsecro uos persistite in fidei Catholicę firmitate, sicut uos sæpius mea prædicatione exortatus sum. Quã fidei Catholicæ prædicationem iam morte mea confirmare,& consignare uolo.

Minister Sathanæ Apostata præfatus, indigne ferens quod populum ad fidei constantiã suasisset,denuo accessit,Christi Martirem tentaturus. Sed ille indesessa

fessa constantia latino sermone tẽtatorem his uerbis reiecit.

Recede à me minister diabole. Nolo te audire, non me tentes in ijs quæ fidei sunt. Quibus dictis alta uoce clamauit.

Domine dimitte illis quia nesciunt quid faciunt. Tunc milites ei insultãtes dicebant, Nescimus quid facimus? Collum tuum fune cingimus. At ille statim bis teruè in illam extremam Ghristi uocem prorupit.

In manus tua Domine commendo Spiritum meum. furibundi milites constantiam uiri non ferentes, eum ex scalis arripere satagunt, ut uiuum quatuor æquis dissectum, morti darent. Quod ubi militum Capitaneo innotuisset, signo lictori facto, eum ex scalis deiecit. Milites uero, ut maiorem pænam patienti inferrent, lictorem cohibent ne ceruicem pulsandi (uti fieri consueuit) supremum Martir spiritum citius reddat. Sed Clementissimus Dominus statim, ut scalis deiectus fuit, eum ad se uocauit, unde nec eius membra ulla ex parte commota sunt; facies uero eius multo serenior erat, quam cum uiueret.

Quod conspicientes plurimum mirabātur. Eius uero Mors ita profecit quod plurimi hæretici per pœnitentiam eius constantia adducti, reuertebantur. Et sic pius Pater æternam uitam gloriosa morte promeruit. Anno Domini 1578

19 Frater Iacobus Schurremans, per Obedientiam missus in Conuentum Ruremonden, in uia ab hæreticis crudelissime occiditur.

20 Sequenti anno Frater Ioannes Amsterodamus, è Conuentu Diesten Louanium ad sacros ordines missus, in reditu ab hęreticis prædonibus in capite securi percussus, ac uiginti uulneribus cōfossus est.

21 Paucis post diebus Frater Ioannes Puteanus, in uia inter Louaniū, & Thenas oppidum, ab hæreticis strangulatus est.

22 Eodem tēpore Frater Ioannes Gray ęgrotus septuagenario maior in cœnobio nostro Bruxellen ab hæreticis occupato, multis uulneribus confossus, spiritum Deo reddidit.

Hoc

Hoc transſumptum conuenire cum ſuo Originali de uerbo ad uerbum inuentum eſt. Teſtor ego Frater Martinus de Myrica Ordinis Minorum Regul. Obſeruantiæ, Prouintiæ inferioris Germaniæ, mea manu, & officij noſtri ſigillo. Anno 1580 Menſis Iunij die 20.

Et ego hoc ipſum teſtor Frater Florentius Leydanus quondam Miniſter Prouintiæ inferioris Germ.

Frater M. de Myrica
qui ſupra.

HActenus de pręfata enarratione Prouiutiæ inferioris Germanie. Cæterum quia permulti aliarum Prouintiarum ordinis nostri religiosi, causa fidei necati sunt hac nostra infælici tempestate, ideo ad vestram ædificationem, nomina quoruudam illorum patrum subijciem, qui pro tuitione catholicæ fidei, in partibus galliarum occisi sũt. quorum martyrium fide diguißima comprahatione nobis constat. Alios vero tacebimus, donec ordo martirij eorum plenius nobis innotescat.

Pri-

PRimo in Prouintia Equitaniæ tres Fratres suspensi fuerunt, in conuentu Sancti Maccarij: videlicet Frater Bernardus de Turga prædicator. Fr. Bernardus Dalæncus prædicator. Fr. Bernardus Genesis laicus. Horum tandem cadauera in flumen rapidissimum Garonæ proiecta fuerunt: & triduo semper ad littus reuertentia, hostes fidei numen dei prospicientes, corpora extrahere, & sepulturæ dare coacti sunt.

In Prouincia Franciæ, Fr. Dionisius de Ponte prædicator ferè centum annorum ætatis; ambobus ab hæreticis erutis luminibus; occubuit. Frater Ludouicus Grip, sacerdos prouectæ ætatis; demisso in os eius tormento bellico: occubuit. Fratri Nicolao Lotharingo actu prædicanti ab hæreticis lingua à parte posteriori extracta est. Fr. Petrus Pichet, Fr. Ioannes benedictus. Fr. Petrus de Ghees prædicatores: hi tres inter gladios hæreticorum interempti sunt.

In Prouincia Turoniæ Pictauiensis Fr. Franciscns. Durdauiæ Guardianus conuentus Sancti Martini. Fr. Franciscus. Buto laicus. Horum cõuentus cum

ipsis omnino conbustus est. Fr. Petrus Odio prædicator, & lector in conuentu Radulfi: Fr. Iulianus Gubier, prædicator, & confessor in conuentu de Rosis: Fr. Ioannes Giuidri prædicator, & confessor. Fr. Rodulphus Giamet, prędicator & confessor in conuentu Magdunij. Fr. Ioannes de Lusia pater antiquus prędicator, in conuētu Fulgerij occisi sunt.

In Prouincia Franciæ Parisiensis, in conuentu de Pietate: apud Boscum male herbatum; occisus est Machinis: Fr. Nicolaus Irieti prædicator, & confessor: In conuentu Viriæ Propediodum destructo: occisi sunt Fr. Petrus Golet prædicator, & confessor ferè octogenarius: qui eo die quo missam celebrauit, captus, & rogatus Sacramentum negare, & Pontificem summum, cum nollet deductus in arcem superiorē castri cingulo eius suspēsus est: quo rupto, ab arce decidit: captus iterum, ac in priori confessione persistens: grossiorem funem coaptātibus hæreticis collo eius: tandem deiectus ab arce, suspensus occubuit. Frater Guilelmus de Monte prędicator, & confessor, appensus arbori,

ictibus

ictibus machinarum fęliciter occubuit. Frater Ioannes Lumer Diaconus ab hęreticis captus; rogatus missam,& pontificem negare; abnuit: a quibus mox abscisus nares, aures, & maxillas:& tandem e pontis medio, ligatis pedibus, & manibus: in flumen datus præceps, occubuit. Frater Ioannes Bunij prædicator, & confessor in hoc conuentu, & alij patres antiqui apprehensi, & multis modis affecti: tandem impotentes redditi sunt. Frater Ioannes Liot prouectæ ætatis: pater ferè octogenarius: brachijs à tergo ligatis: per tres horas ab hæreticis passus est. Frater Oliuerius Iuliani in ordine à multo tempore Iubilarius: quum Romanam sedem, & summum Pontificem negare nollet: nudus suspensus est. Frater Ioannes Bruso in conuentu Sagiensi ictibus machinarum necatus est. Frater Dominicus Godar prædicator, & confessor ab hæreticis aprehensus, & in quodam pelago demersus uerberibus, & flagellis ibidem mortuus est. In monasterio Mauritaniæ sororum Sanctæ Claræ machinis necata est soror Ioanna Petit.

In Prouincia Turoniæ, in conuentu Barbeseli die ueneris sancti post passionis Iesu Christi habitum sermouem Frater Petrus Choset, stipiti ligatus ictibus machinarum occubuit. In conuentu Salmutij. Frater Guilielmus Contiuio antiquus prædicator occisus est.

In Prouincia Aequitaniæ reformatorum, occisi sunt ab hæreticis quatuordecim fratres: inter quos fuerunt uenerabiles patres Guardianus conuentus Vauri. Frater Guilermus Regnac, & Guardianus Sancti Antonini. Fr. Bernardus Molmerij.

In Prouincia Sancti Bonauenturæ. Frater Iacobus Gaiet prouectæ, & probatæ ætatis, Guardianus conuentus Sancti Bonauenturæ Lugduni: qui postquam per trimestre in carcere pane, & aqua sustentatus est; fractis brachijs in flumen de ponte deiectus est, eo quòd nollet eorum adhærere hæresi. Frater Paulus Vasellator prædicator: in quem horrendū, & inhumanū nephas exercuerunt hæretici, à seculo non auditum: nempe illius testiculos super pedē crucis, clauis contuderunt: deinde ma-

nicas tunicæ interioris puluere sulfureo impleuerunt:& igni apposito, brachia combusserunt: ille autem interea solum nomen Iesus exclamabat:tandem ex alijs nequam quidam cæteris humanior., misertus illius: accepta breui machina: quam uocant Pistole; apposuit ori dicens. Aperi os: & consecra hanc sferulam plumbeam: quæ traiecta per os in cerebrum: quod reliquum erat vitæ abstulit. Frater Vincentius Forti prædicator: quem caude equi indomiti alligatum: per duas leucas traxerunt: punctionibus uarijs eum urgentes: ita ut totus suo sanguine aspergeretur: deinde facta fouea in ingressu cuiusdam Pagi: uiuum in ea ad humeros usque dimiserunt: cuius brachia super terram in modum crucis extensa à singulis militibus hæreticis sferulis ferreis impetebatur: sicq; dimissus est tota nocte. Mane transeuntibus hæreticis, & uidentibus eum uiuere: ipsiq; illudentibus, quidam Alabarda uulgò incerebrauit eum: alius nequam serra guttur illius amputauit, & sic defunctus est. Alij infirmis quod supererat uitæ, &

&piaculi purgandi, igni superposue-runt. Duobus aures, labia, nasum abſciderunt: oculos effoderunt; postremò innumeris ictibus, uiam eis ad paradiſum fecerunt. Quatuor in uno conuentu variè interemerunt. Multi uehementi magnitudine cruciatuum non multo post obierunt. Soror quædam, cum incidisset in hæreticorum manus: & euaginatos gladios, ac machinulas uibratas mortem intentantes uideret: adeo territa fuit, & commota, ac machinulas uibratas mortem intentantes uideret: adeo territa fuit, & commota; ut ſanguis ab omni corporis parte meatibus manaret: ita ut in oculis hostium exanguis effecta; uitam finiret mortalem.

*Vdistis itaq; patres amantissimi, quali pietate & fidei constantia, quanta patientia & fortitudine egregij illi & fœlices Christi milites præfati (quos Alma inferioris Germaniæ Prouintia, & alie Galliarũ Prouintiæ Deo pepererũt) cõtra hæreses pugnarũt. Qualiter spretis mũdi fallacijs & carnis illecebris, diabolum & eius ministros vicerũt. Quã Illustre testimoniũ Christo reddiderunt, & constantiæ exemplar nobis reliquerunt. Superest ergo vt Elephantis more, ad prelium ex aspectu sanguinis animati eorum virtutes imitemini; ac feruentissimos fidei zelatores vos præbeatis; verbo, scriptis & morum integritate, hæreses impugnando: Et qui in vestris Prouintijs per dei gratiam, & vestrorum principum egregiam sollicitudinem, pace fruimini, ac ab huiusmodi psequutione liberi estis videte ne in vacuum gratiam istam recipiatis. Deo igitur & principibus*

*pibus vestris grati; memores estote in vestris orationibus fratrum vestrorum qui in Prouintijs Palestinæ, Macedoniæ seu Albaniæ, Bosnę Argentinæ, atq. Vngariæ, graue Turcarum iugum, non sine maxima molestia sustinent: vt fideles in partibus illis consistentes, verbo Dei, & sacramentorum administratione nutriant, & in fide conseruent. Similiter, & eorum Ordinis nostri religiosorum, qui in Prouintijs Bohemiæ, Belgiæ, Hiberniæ, atq; Galliæ seuitiam & persequutiones hæreticorum iugiter patiuntur, memoriam in vestris sacrificijs assidue agite. Hij namq; si pace vestra gauderent, haud dubie moribus & vita catholicos ad meliorem semper frugem inducerent. Tandem vt dicendi finem faciam, vos ò Prouintiarum prælati ortamur & instantissime deprecamur vt si qui fratres ex Prouintijs belgicis, cum prelatorum suorum Testimonio, ad vestras accesserint prouintias; eos humanissi-*

*nissime & hilariter suscipiatis; ne cum Animarum suarum periculo, extra monasteria Vagari cogantur. Valete in domino Iesu, ipsum assidue pro nobis oraturi. Dat. Neapoli in loco nostro Sancte Mariæ Noue, die 14 Februarij, Anni M D LXXXI.*

*Fr. Franciscus Gonzaga*
*supra manu propria.*

Imprimatur.
V. Quatrimanus. Vic.
Gene. Neap.

Io. Franciscus Lombardus.
Vidit.

Paulus Regius.
f. 30.

NEAPOLI,
Apud Horatium Saluianum. 1581.

